

BIBLIEN



B. 239.

1) Vida, Dr. Hieron.

meist 2) - 6)

f) des berühmten Schach =

gedicht!

Mit Tabelle v. Schachzügen

DFW 00



5



HENRICI MEIBOMII,
Poëtæ & Historici,

FLORES VERNI,

Ad
FRANCISCVM LANGERVM,
Silesium, Iurisconsf.



HELMAESTADII,
Ex officina typographica Jacobi Lucij.

Anno 1604.



Clarissimo consultissimoq; viro,
FRANCISCO LANGERO,

I. V. D.

& amplissimi Senatus Vratiflauiensis
Scabinographo,

amico meo veteri.

VE Rredit, atq; unâ flores, quos Dædala tellus
Ornatu passim versicolore parit.

Et mea non etiam se in flores induat Arbos
Verna, creatori gratificata suo?

*Absit ut ignavo torpescat frigore, & expers
Florum inopes tantum suescat amare comas.*

*Accipe proventus horni, LANGERE, manipulum:
Cui donum hoc mitti debuit, vnus eras.*

Fortè venustatis minus hic verniq; coloris?

Non nego: nectareus sarciet illud odor.

Qui geniale fragans, Epicuri de grege porcis

Quàm minimè gratus, tam tibi suavis erit.

Henricus Meibomius,

Poëta & Historicus

in acad. Iulia.





Regem non habem⁹ nisi Cæsarem.

Iohann. 19.

HEI mihi quàm vox hac nimium est immanis
& atrox!

*Hic tua libertas omnis Hebræe perit.
Iam tibi seruitium video dominosq; paratos,
Sub quibus vrbs, templum, relligioq; cadat.
Iam tepido video stagnantes sanguine campos:
Classica iam mixtis audio pulsa tubis.
Heu tantine fuit Dominum mutasse priorem?
Iuratam toties & temerare fidem?*

Pacem meam do vobis.

Iohan. 14.

PAce tuos donas, Iesu mitissime, at illi
Nil min⁹ ac pacis secula tuta vident.
En ut sanguinei expediant tormenta tyranni!
En ut carnificum sudet anhela cohors!
Ad vitam quæ sunt alijs elementa tributa,
Ad pœnam seruis cerne coacta tuis.
Quæ properata venit mors hic est gratia: tortor
Est aliquis plagis qui noua membra velit.
Dâsne igitur pacem? pax est, mitissime Iesu,
Vera ea, quam solus, qui tibi credit, habet.

A 2

Ille

Ille nec irati formidat fulmina cæli:

*Nec Stygias horret tristis & ager aquas.
In medijs requiem cruciatibus inuenit, optans
Per flagra, per mortem, proximus esse tibi.
O pacem solidam! ô propriã! fremat orbis & Orcus:
Hac ego me ante homines tutor, & ante Deũ.*

**Latro conuersus studet fratrem
conuertere.**

Ergo etiam insano frenos laxare furori
Dulce tibi? & vecors stolidæ conuicia plebis
Ingeminare audes? cum te vicina merentem
Fata vocent, eademq; grauet censura, sed æquæ
Consona iustitiæ. iam-pridem debita nobis
Ista fuit merces, usq; huc dilata benigni
Numinis arbitrio. voluit nihil iste, nec ausus,
Quod violare homines superosue offendere possit.
Immo insons patitur plus-quam crudelia, nostras
Iussus obire vices: ne quod nunc corpora vexat
Supplicium Stygios animas deuoluat in ignes.
Quin age & extemplo veniam deposce: præibo
Voce tibi & lingua, quid credam corde, fatebor.

Idem secum & ad Christum.

ET feci, & merui non enarranda. quis Orcus
Flagitijs, & quæ crux satis æqua meis?
Suppli-

*Supplicij partem quòd possum hìc soluere, quantum
Gaudeo! si veniat mors duplicata, feram.
Pars grauior superest, quam constat saepe remitti:
Si minus, aeterna morte luenda venit.
Hìc hìc auxilijs opus est, mitissime Iesu:
Nec patitur longam res celeranda moram.
Pauca loquar, tibi grata tamen, cùm veneris illuc,
Quò properas, nostri sis, pie Christe, memor.*

*Dedi dilectam animam meam
in manum inimicorum eius.*

Ieremiae 12.

Q *Uae mihi delitium, quae vitâ carior ipsa:
Pro quâ sustinui, patre volente, mori,
Dulcem animam manibus commisi hostilibus. eheu
Ut ruber! ut salsis tota mader lacrymis!*

Filius prodigus.

Lucae 15.

C *Ulpâ tua est: alios ne incusa, prodige, porcos
Quòd miser agrestes hactenus inter agis.
Anxius exspectat genitor te canus, & huius
Aerumnâ minimè nescius esse potest.
Frigus & esuriem pecora inter inertia ferre
Quid iuuat? est hominis viuere more hominũ.*

*Multiplices lapsus & crimina mille recordor,
Iratiq; patris horreo fulmen ais?
Desine sollicitæ formidinis. obuius ultro
Occurreret reduci dummodo adesse velis.
Hei quantum est labi! quantum est consurgere lapsu!
Tunc demum à casu gratia grata Dei.*

D. Basilius.

Tantum velis & præ-occurreret.

Quid pendes animi? quid inepte moraris &
horres?
Tam cito haud venies; quin citò præueniat.

Cura & preces.

Gignit cura preces, iterumq; fugatur ab illis:
Ut cupiant, uno his non licet esse loco!

Latro in cruce.

Credo equidem, nec vana fides, te Christe mo-
narcham,
Vtcunq; hic exsul miser & rerum omnium inanis
Infames inter medius moriare latrones.
Tu modo funestis his cladibus eluctatus,
Quem socium opprobrij vidisti & mortis acerba,
Respice me & regno miserans ne exclude futuro.

Re-

Responsum Christi.

Quem regem credis, regem experiere: videbis
Gaudia regni hodie prodigiosa mei.

Lothus incestum committens.

Genesis 19.

VOS quibus ebrietas non est in labe, sed usu,
Audite illius pernicipiale nefas.

Decipit hæc Lothum, quem turpis Sodoma frustra

Conata est vicij commaculare suis.

Ebrius, infandum! is flammis muliebribus ardet,

Sobrius à piceâ qui face tutus erat.

Vt potiar patiar.

Passus Abel mortem; exsilium est perpeffus E-
lias:

Baptistes diram passus & ipse necem.

Immo auctor vitæ vitâ est expulsus, & illud

Exemplo firmum sancijt esse suo.

Nempe quòd astrifero nemo potietur olympo,

Ni prius infelix hîc patiatur onus.

Ergo pati certum est, & cum patiente potiri.

Premia dat sudor plurima; nulla sopor.

Mane nobiscum, quoniam
vergit ad vesperam.

Lucae 24.

Lux fugit, & tenebrae caeli per inania gliscunt:
Ancipites secum vespera fertq; metus.
Ne lateri ah nostro te, Christe, abiunge: malorum
Quo grauior moles, hoc minus auxilij.

Peccati turpitudine.

Pone mea haud videant homines peccata, nec
ultor

Ista velit pœnâ plectere Ioua truci:
Nil tamen admittam sceleris, turpissima quippe
Res est, atq; odio perpete digna, nefas.

Aliò migrandum, nec inde
emigrandum.

Quid mediter voluamq; animo, nisi id unicum
& vnum,

Nempe quòd hic parui temporis hospes ero?
Quodq; ita viuendum, sedem vt bene transeam ad
illam:

Ex quâ nulli vnquam fata redire dabunt.

Fasti-

Fastidium mundi.

Quid mihi pollicear, Deus ô iustissime, fraudes
Cum videam & vafros prævaluisse dolos?
Nec mens tecta mihi est: alios nec fallere novi:
Simplicitas vite normaq; duxq; mea.
Fac finem mundi, aut ex illo me eripe. non est
Ut meliora pctam, quem grauiora manent.

Scopus vitæ.

LIS mihi cum nullo est; cum nemine. rixa:
quietus
Officij perago munia parua mei.
Si laedor sileo: si laudor mussito: nec me
Sors potis est timidum reddere, vel tumidum.
Quod didici, est aliquid: quod restat, grandius illo:
Hic etiam pietas me vetat esse pigrum.
Quid sim, quid possim, magni non aestimo: tantum
Clementem norim te, Ioua, meq; malum.

Domine si velis potes me mundare.

Matthæi 8.

NON dubito an possis; siquidem potes omnia:
tantum
Hoc dubito auxiliū ferre-ne, Christe, velis.

A S

Nec

*Nec planè hoc dubito: vidi quæ feceris illis,
Quos eadem mecum sordida culpa grauat.
Num tibi sit placitū: num sit mihi id utile: solū hoc
Ambigo, & hinc totum, Christe, relinquo tibi.
Siue iuues hilarem, iubeasūe recedere mæstum,
Non minus in morbo & morte manebo tuus.*

Ego sum.

Iohan. 18. & Lucæ 24.

D*VM socijs Iudæ Christus se interritus offert,
Ad terram præceps impia turba ruit.
Idem discipulis dum se testatur adesse:
Continuò redeunt gaudia, mæror abit.
Aspice discrimen! Christi solet enthea semper
Vox animare pios; exanimare malos.*

Puer procurator peni.

Iohan. 6.

E*N quantum hic agmen! quam grande! nec vl-
lus in isto,
Cui reliqua exigui mica pusilla cibi.
Venerunt vacui, matresq; viriq;: puellus
Vnus adest, aliquid attulit ille dapis.
Diuiditur cunctis puerilis portio, & inde,
Quod sibi sufficiat sumere quisq; potest.
Mirū est, sed verū! quo nunc quoq; vescimur, omne
E puerorum arctis accipimus manibus.*

Chri-

Christo moriente scinduntur petrae.

Saxea finduntur Christo moriente sepulcra:
Corpora nec tellus clausa tenere potest:
Quando triumphator iudexq; redibit Olympo,
Num velit aut possit, quid dubitatis? idem.

Iacob ad Pharaonem regem.

Dies peregrinationis meae &c.

Exodi 47.

LAETA papyriferi deuectus ad oppida Nili
Iam piger atq; annis obsitus Isacides,
De spacio vitæ rege à Pharaone rogatur:
Cui sic compositis vocibus usus ait:
Vita mihi, si vita tamen dici illa meretur,
(Nam peregrinantis more modoq; vagor.)
Per breuis, exsiliijq; acta est lacrymabilis instar:
Centum annos hodiè lustra q; sena traho.
Hei pauci q; mali q; dies! qui longa meorum
Secula non possunt equiparare patrum.
Quàm bene sancte senex! non hîc habitacula nobis
Certa, sed ad paucos scena locata dies.
Sertus hîc, citiùs latebris educitur ille:
Dum manet haud expers viuit uterq; mali.
In caelo patria est: ibi conuersatio nostra,
Iugis & aeterni plena futura boni.
Felix, qui doctus mortalia spernere, mentem
Huc agit, & cupido quaeritat hanc animo.

Pia

Pia ambitio.

i. ad Theſſalonicenſ. 4.

SI qua eſt ambitio, non eſt laudanda: profanus
Hac ſibi, quod Chriſti debuit eſſe, rapit.
Et tamen ambitio eſt, quæ relligioſa decenſq̄:
Propria quæ ſemper, nunquam aliena facit.
Dumq̄, agit hoc, pacem & tranquilla ſilentia quaerit,

Quæ mutare nequit, prompta parata pari.
Quis ſis, quo dici merearis nomine, diſce hinc
Cacula, quâ pruris, degener ambitio eſt.

Niobe Ouidiana.

Metamorph. 6.

DIcebar felix & fortunata, nec ulli
Sors magis ad nutus officioſa fuit.
Coniugium optatum, proles pulcerrima, rerum
Copia, amicorum relligioſa fides,
Eheu! me tumidam & nimium fecere proteruam:
Oblita æterni ſum furioſa Dei.
Nunc ſaxum rigeo: & merito hoc. duriffima
namq̄
Non homines timui ledere, non ſuperos.

Spes

Spes alia & alibi.

SI nisi presentis quæ gaudet amoribus æui
Spes mihi nulla foret; spes mihi nulla foret.

Vltio diuina.

2. Regum 17.

NUnquam à flagitijs diuellitur vltio: fontes
Ad pœnas Nemesis irrequieta vocat.
Ecce manus sæui fugiens qui euaserat hostis,
Numinis vlticem non fugit ille manum.

Audiui vocem tuam & timui.

Genesis 3.

HE I mihi qualis eram! qui te expectare so-
lebam

Absq; metu: & notas audire & reddere voces
Exoptabam auidè. quantum mutatus ab illo
Horreo nunc strepitumq; pedum, vocemq; tremisco.
In fremitum conuersus amor: quo Patre fruebar
Nunc hostem metuo: & quò te vehementius odi,
Hoc me odio dignum maiori credere cogor.

Abra-

Abrahamus, Isaacum mactaturus,
ad Deum. Gen. 22.

Cum norim unigena, Deus ô, te parcere gnato
Nolle, sed ad diram poscere velle necem,
Parcere cur cupiam huic nostro? meliôrne petenda
Sit mihi conditio, quàm tua, magne parens?
Immò si ille tuus non occidatur, in orbe
Qui mortis fugiat spicula, nullus erit.
Ne parcas igitur: sed nos imitare. libenter
Ut tibi mactò meum, sic mihi cede tuum.

Pharao à Deo debellatus.

Qvanti te faciat cœli moderator & orbis,
Quàm minimi fastus æstimat ille tuos,
Disce hîc, impie rex: rabidos non ille leones,
Non auidas tigres, terribiles sive lupos,
Sed culices, muscasq; & amantes flumina ranas,
Arva iubet regni depopulare tui.
At quàm te exagitant miserè illi & duriter hostes!
Quàm nihil auxiliij hîc consilijq; tibi est!
Quid si ille aligerùm immittat tibi cœlitus agmẽ,
Fulminaue expediât vindicis atra manus?
Disce timere Deum: de te sentire modestè:
Et muscâ & vili vilior es culice.

Iobi

Iobi 10.

Licet hæc celes in corde tuo, tamen
scio quòd horum memineras.

V *T celes, ut dissimules, cupiasq; videri,
Qui nihil ærumnis afficiare meis:
Nil dubito quicquã tamen, & minimè ambigo, cor-
Arcano teneas quin mea cuncta sinu. (dis*

Iustificatio maior creatione.

M *agna creatio res: sed iustificatio maior:
Illapotentis opus, hæc miserantis erat.*

1. Corinth. 3.

Omnia in gloriam Dei facite.



Dionysius Gato


[Disticha de virtutibus]

Vt...

M...


O...





ALVE
2





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



MEIBOMII,
& Historici,
S VERNI,
Ad
M LANGERVM,
n, Iurisconf.

AESTADII,
graphica Iacobi Lucij.
1604.

